



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

5. Mandatum Episcopi Apamiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Documentum V.

Mandatum Illustrissimi & Reverendissimi
Episcopi Apamiensis

FRANCISCUS miseratione Divinâ Episcopus Apamiensis,
Charissimis & Dilectissimis Fratribus & Canonicis Ec-
clesiarum nostrarum Cathedralis, & Collegiæ Beatissima
Virginis Campensis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicariis,
aliisque Ecclesiasticis Personis Salutem & Benedictionem.
Intelleximus Dominum Paucet Diœcesis Leonensis Pres-
byterum obtentu Regaliæ, cui Diœcesis nostra Apamien-
sis nunquam subjacuit, Canonicatûs & Archidiaconatus
Regularium Capituli nostri Cathedralis possessionem ca-
ptare. Et quia tam Episcopale ipsum officium, quo, licet
indigni, perfungimur, quàm etiam Oecumenici Lugdu-
nensis Concilij Decretum, cujus initium est: *Generali Con-
stitutione*: gravem nobis imponunt necessitatem, Ecclesie
nostræ jura tuendi, impediendique, ne Regalia in eas Ecclē-
sias ac Provincias irrepant, quæ huic servituti nunquam
obnoxia fuere; ideò nisi Censuras à præfato Concilio inten-
tatas incurrere, ac insuper gravi conscientiam nostram de-
licto obstringere vellemus, non potuimus ullo pacto per-
mittere, ut silentibus nobis, ac turpi conniventia defixis,
idem Jus Regaliæ in hanc nostram Diœcesim induceretur;
tantòque magis, quia licet in hac nostra Diœcesi Regaliæ
locus aliquis esse posset, quod tamen minimè concedimus,
tamen ad Cathedralē Ecclesiam extendi haud posset;
quippe quæ ex sua Institutione Regularis est, ac Reforma-
ta; adeoque nisi à Deo ad Religiosum statum evocati, pro-
batique diuturno ac consueto tyrocinio, ad nullum Cano-
nicatum,

nicatum, aut Dignitatem aliam ejusdem Ecclesiae nostrae Cathedralis promoveri possunt; quod etiam Pontificio Alexandri VII. Regioque Diplomate cautum est. Actandem toto triginta trium annorum cursu, quibus huic nostrae Ecclesiae praesumus, quamvis indigni, omnia Eiusdem Ecclesiae vacantia Beneficia, sine contradictione, liberèque contulimus. Ex his igitur aliisque causis, utque partibus à Deo nobis impositis deesse ne videamur, hisce nostris praesentibus litteris Capitulis Cathedralis, & Collegiatae Dominae nostrae Ecclesiarum districtè inhibemus, ne ad Beneficia, locumque in Choro, aut Capitulo recipiendum, aliisque praetactis Beneficijs annexas functiones exercendas hujusmodi ex titulo Regaliae provisos admittere praesumant, idque sub poena suspensionis ipso facto incurrendae; quae omnes illi obstricti teneantur, qui quovis modo, aut quaesito colore hujusmodi Beneficiorum usurpatores consilio, aut auxilio adjuverint, aut aliàs eorum conatus promoveant. Ipsos verò, ita ut praefertur, titulo ac colore Regaliae provisos ac Beneficiatos, ne se hujusmodi Beneficijs ingerant, sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, aequè prohibemus. Praecipimus etiam omnibus Personis Ecclesiasticis, ne ullum auxilium, consilium aut assistentiam ad capiendam, aut ineundam possessionem hujusmodi Usurpatoribus praestent, idque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, &c. Datae Alekti in Aedibus Episcopalibus 27. April. Anno 1677.

Franciscus Episcopus
Apamiensis.

Docu-

Gallia
Indicata
C III
230